



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

De Iudiciis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

ARNOLDI CORVINI
 à BELDEREN J. U. D.
JUS CANONICUM,
 PER
APHORISMOS
Strictim
EXPLICATUM.
 .LIBER TERTIUS.

De Iudiciis.

TITULUS I.



ABSOLUTIS duobus hujus Iuris ob-
 jectis, *personis* puta, & *rebus*: restat expli-
 candum tertium; puta *judicia*.

Iudicium, est legitima controversiæ
 apud Iudicem tractatio & dijudicatio.
arg. c. forus. 10. de verb. signif.

Est vel *Ecclesiasticum*, vel *Seculare*; *Ordinarium*, vel
Extraordinarium seu *Summarium*.

Ecclesiasticum est, quod coram Iudice Ecclesiastico,
 inter personas Ecclesiasticas, vel saltem contra perso-
 nam Ecclesiasticam (si quidem Actor sequitur forum
 Rei), aut de causa Ecclesiastica agitur. *c. decernimus. 2.*
hic. c. causam matrimonii. 16. de offic. Deleg. c. fin. de foro
compet.

Seculare est, quod coram Iudice Laïco, inter per-
 sonas seculares, de causa seculari exercetur. *d. c. decer-*
nimus.

Ordinarium est, in quo exquisito & solenni juris ordine
 servato proceditur; ut puta, *libellum porrigendo, litem*
conte-

contestando, & alia à jure præscripta faciendo. De quibus infra latius.

Extraordinarium seu Summarium est, quando non in figura judicii, sed ex Judicis officio, per modum inquisitionis, vel denunciationis, vel aliàs de plano, ex æquitate, proceditur. c. super his. 16. & c. qualiter. 17. de accus. de quo infra tit. ult.

Est & judicium aliud *Civile*; cujus finis privatum commodum respicit; de quo hoc libro agemus: aliud *Criminale*; quod publicum interesse, publicamque vindictam respicit. *Dd. in rubr. hic.* Et de hoc lib. 4. tractabimus.

Constituunt judicium, *Judex, Actor, Reus. d. c. forus. verb. in omni. 10. de verb. signif.*

Pro quibus aliæ personæ accedere possunt, ad tres tamen illas pertinentes, ut, *Procurator, Advocatus, Testis, &c.* pro litigantibus; pro Iudice, *Vicarij, Consilijarii, Assessores, Notarii, Amanuenses, Apparitores, &c.*

De Iudice.

T I T. I I.

J*udex, est persona, quæ Iurisdictioni præest, ac populo, juxta legis præscriptum, locique consuetudinem, jus dicit. c. forus. 10. §. judex. de verbor. signif.*

Est vel *Ordinarius*, vel *Extraordinarius* sive *Delegatus*.

Ordinarius est, qui jure suo, vel superioris beneficio, jurisdictionem universaliter potest exercere; ut *Episcopus, Archiepiscopus, Legatus, & similes, jurisdictionem à Papa habentes. c. omnes. 1. dist. 22.*

Hic potest quocunque in diocesis suæ loco non exempto, per se, aut per alium, pro tribunali sedere; causas ad forum Ecclesiasticum pertinentes audire; personas Ecclesiasticas, si earum merita exposcant, capi, & in carcerem detrudi, jubere; cæteraque ad officium ejus spectantia exercere. *c. cum Episcopus. 7. de offic. ordin. in 6.*

Archie-